

**Dissertatio medica inauguralis sistens trigam morborum male artificialium
/ [Johann Georg Sulzer].**

Contributors

Sulzer, Johann Georg, 1720-1779.
Sigwart, G. F.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : 'Litt. Sigmundianis', [1765]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nz7jzub9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
SISTENS

TRIGAM
MORBORVM MALE ARTIFI-
CIALIVM

QVAM

ANNVENTE DIVINA GRATIA
IN ILLVSTRI ACADEMIA EBERHARDINA,
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE,

PRAESIDE

VIRO EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO

GEORGIO FRIDERICO
SIGWART,

PHILOS. ET MED. DOCTORE

MEDIC. CHIRVRG. ET ANAT. P. P. O. MED. AVL. WÜRTEMBERG.
DN. PATRONO ATQVE PRAECEPTORE OMNI OBSEQVII
CVLTV AETATEM PROSEQVENDO

PRO GRADV DOCTORIS

IN AVDITORIO IVRIDICO

Die XVI. Novembris MD CCLXV.

PVBlico ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET
A V C T O R

IOHANNES GEORGIVS SVLZER, Vitoduro-Helvetus.

TVBINGAE, LITTERIS SIGMVNDIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30787373>



§. I.

Olim jam conquesti sunt sagaciores, tantum abesse, ut Medici desideratum ægris præstent auxilium, ut potius otiosi sint spectatores decursus morborum, &, vel ex morbis morbos artificiosissime producant, vel experimenta per mortales faciant. Haud omni sane fundamento destituti erant tales harum rerum arbitri, cum ejusmodi spectacula quotidie ante oculos ipsorum ponerentur. Sed olim hæc ita agebantur, inquis, quid ista ad nos? Vtinam his & similibus querelis aures nostræ hodie non amplius feriantur! Ausimne dicere, non omnino deesse hodiernum, qui Publico ejusmodi querimonias jactandi dant ansam. Stet suus honos omnibus veri nominis Medicis! Neque tamen omnes sic dictos Medicos, seu Diplomate Doctorali, undecunque capto raptove, instructos, sibi que placentes, uti cornicula in fabula, excludendos esse, cordatiorum nemo negabit. Isti sane haud censendi sunt meliores agyrtis, aliisque, Artis nostræ sacra profanantibus, eique apud plebem omnium ordinum haud superficiale inurentibus ignominiam. Sermo itaque tantum heic est de utriusque nominis claudicantibus illis Empiricis, qui, ut GVARGVANTIVS ait, unum tantum crus habent, quia ambulant duntaxat cum experientia, & rationem causamque rerum contemnunt, de illis, inquam, quorum *εμπειρια* est sine sale sapientiæ & sole scientiæ, quorum imperita peritia quandoque habet *Τυχην*, numquam *τεχνην*. Quæ quantæque quæso strages sæpius ab his eduntur, insuper putantibus, se optime rem gessisse



fisse! Provocant quidem semper & ubique ad experientiam, alias Medicæ Praxeos omnino Magistram a); quasi vero experientia ipsorum ratione etiam destituta experientia vera esset & genuina. Hocce vero eorum iter est

*Quale per incertam lunam sub luce maligna
Est iter in silvis: ubi cælum condidit umbra
Jupiter, & rebus nox abstulit atra colorem.*

Virgil. Aeneid, L. VI. v. 270.

De his scite ait celeberrimus *Mfr. de la METTRIE*, danles *Oeuvres de Medecine* pag. 277. —. Ceux, qui voient beaucoup de malades, voient ordinairement peu de maladies.

§. II.

Demonstraturus vero jam hæc imputata, ante oculos. B. L. ponam illustriora quorundam morborum periculosiorum exempla, qui sæpe producuntur a dictis Artistis non artificibus. Triplicis hujus notæ morbos in exemplis ponere constitum habeo. 1) *purpuram* & *petechias*, 2) *Hydropem*, atque 3) *Cancerum*. Hos enim morbos hodiernum omnino videre licet quandoque produci a sola perversa medicatione. Quod meum, non ut videri posset frivolum, tentamen ut æquiores iudices æqui bonique consulant, suisque monitis & observationibus vel corrigant, vel corroborent, augeantque, enixissime precor.

PURPURA.

§. III.

Controversia agitur inter Illustres MEDICOS VINDOBONENSES de purpura, ejus origine, methodo eandem tractandi, id quod ex scriptis ANTONII DE HAEN, & MOLINARI præcipue videre licet; acerbè passim conqueritur Dn. DE HAEN, frequentiam purpuræ funestæ artis sinistrae opus esse: Sic in *Prefat.* ad

a) Vide sis Magnif. Dn. PRÆSIDIS *Dissert. De Experientia, Praxeos Medicæ Magistra.*

ad *Theses* *fistentes* *Febr.* divisiones his utitur verbis: *Exanthemata* *miliaria* sunt & *salutaris* *naturæ* *opus*, & *præpostera* *artis*, sed ita, ut *posterius* *longe* *frequentius* *accidat*: & *Rationis* *medendi* *P. V.* p. 35. s. *merito*, inquit, *concludere* *mihî* *videor*, *quamdiu* *moderni* *morem* *obtineant*, *eos* *exanthematum* *perpetuare* *crebritatem*, *eorumque* *conscientias* *graviter* *oneratas* *manere*, *tum* *ea* *majori* *molestia*, *quam* *agris* *suis* *frustra* *faceffant*, *tum* *graviori* *periculo*, *in* *quod* *conjiciant* *eosdem*, *tum* *denique* *multorum* *strage*, *quos* *exanthema*, *dedita* *opera* *provocatum*, *quotannis* *e* *vivis* *tollat*. Quatuor autem præcipue causis omnem tribuit culpam Cel. DE HAEN l. c. p. 34. s. *Tam* *certum*, inquit, *mihî* *videtur*, *quam* *quod* *certissimum*, *exanthematum* *frequentiam* *a* *quatuor* *his* *caussis* *positis* *oriri* *ac* *perennare* 1) *sic* *dictis* *alexipharmacis*, 2) *pulveribus* *absorbentibus*, *bezoardicis* *ac* *cinnabarinis*, 3) *emetiis* & *purgantibus* *in* *principio* *acutorum* *datis*, 4) *a* *regimine* *calido*. — Plura ejusmodi jam allegare, nimis longum foret. MOLINARIUS contra in *Disquisitione* *de* *miliarium* *exanthematum* *indole* & *tractatione*, nuper edita, præcipue sex res non - naturales, adeoque causas, quæ apud Medicos positæ non sint, aërem maxime, aquamque, nec non vitam sedentariam, potiusque incrassantes. L. c. p. 31. s.

§. IV.

In duas & Alii sibi e diametro oppositas sententias abeunt de purpuræ origine differentes. Alii materiam purpuræ in M. H. semper præexistentem supponunt; accusant, nescio quæ venena a corde depellenda, miasmata fermentescentia, putredinosa, quæ a nobilioribus partibus ad minus nobiles derivanda sint: Hinc *alexipharmaka* morbo opponunt, & hac ratione suæ, (falsæ vero ut plurimum) indicationi satisfacere satagunt. Alii vero priorum theoriâ derident, & sinistram accusant artem, generantem morbos, qui sponte natura orti non fuissent: Audiamus Cel. de HAEN *Febr. Divis.* p. 59. ita differentem: *Datur* *itaque* *ars* *fatalis* *pestiferum* *hunc* *morbum* *generandi* *iis* *in* *corporibus*, *in* *quibus* *produci* *nulatenus* *debuissent*, *adeoque* *in* *quibus* *sine* *hac* *arte* *nequaquam* *prodiissent*.



§. V.

Videamus jam, quæ pro utraque sententia pugnent argumenta, & quidem 1.) pro iis, qui §. IV. materiam purpuræ præexistentem & sponte natura enatam supponunt; Hi exanthemata hæc naturæ opus esse idcirco contendunt, quoniam sæpius accidat, ut purpura criticis diebus appareat; cum autem natura nihil faciat frustra, expulsam hanc materiam, noxiam & corpori summe infensam fuisse, & antea jam M. H. oberrasse dicunt. Provocant porro ad funestos eventus, qui subitam retropulsionem & evanescentiam exanthematum horum miliarium sequi, quid? quod pressio pede comitari soleant; porro ad epidemiam purpuræ & febrium petechizantium, quæ adeo rara non est.

§. VI.

Consideremus quoque alteram sententiam, eorum nempe, qui sinistram morborum tractationem plurimarum purpurarum causam esse volunt. Provocat Cel. de HAEN in *Rat. med. P. V.* ad suam experientiam, coram centenis testibus captam, asseritque se spatio $6\frac{1}{2}$ annorum in suo Nosocomio septendecim tantum ægros Petechiis aut Miliaribus laborantes vidisse, hincque concludit l. c. p. 33. *Si iisdem acutis in morbis exanthemata mihi rarissima sunt, in quibus alii Medici ea frequentissima vident, ea sane ab aëre neutiquam generari, at vero potius a certis quibusdam causis, quas ad ea generanda ponere soleant illi, ego autem non soleam.* — Pugnat porro pro hac sententia novitas morbi; nam ante annos nonaginta hunc morbum Austriacis plane incognitum fuisse, testatur de HAEN *Febr. Div. p. 46.* Nec concedunt, ordinarie purpuram esse opus naturæ: Ill. de HAEN in *Rat. med. P. V. C. I.* septendecim collegit observationes, quibus asseverare contendit, critica nunquam fuisse illa exanthemata, sed mera symptomatica vel accidentalialia; sic enim l. c. p. 32. *Igitur irrefragabili experientia convictus assero, nemini meorum critica hæc exanthemata fuisse.* Licet vero in *Præf. ad Febr. Div.* huic sententiæ directe contradicere videatur, ubi expressis verbis, dantur, inquit, *exanthemata petechialia & miliaria critica, dantur mere symptomatica, dantur denique accidentalialia, prava arte*

arte producta, vera tamen contradictio non est, id enim tantum vult Vir Cel., purpuram multo rarius esse criticam, quam quidem hucusque persuasum sibi habuerunt multi. Ad stipulatur pariter huic sententiæ immortalis SYDENHAM, qui de miliaribus ita: *Licet miliares eruptiones sponte sua nonnunquam ingruant, sæpius tamen lecti calore & cardiacis extorquentur; & de Petechiis quæ hoc respectu prope ejusdem cum Miliaribus census sunt, in Opusc. Univers. Lips. 1711. Schedul. Monitor. p. m. 682. sic loquitur: Petechiæ raro sponte sua efflorescunt, nisi sub adventu pestis ipsius, atque in initio invasionis istarum variolarum confluentium, quæ summæ inflammationis participes sunt.*

§. VII.

Nostrium jam non est, dirimere hanc litem; temerarium enim esset, si tanti certaminis arbitros nos facere vellemus. Liceat attamen nostra heic proponere cogitata. Purpura est exanthema inflammatorium a materie in minimis cutaneis vasculis stagnante ortum *b)*: Differentias hujus morbi, historiam, &c. legere cupientes inspiciant libr. supra laudatum ANT. DE HAEN *de Febr. Div.* p. 41 — 53. nec non doctam Diff. Viri Excell. Dn. Dr. & Prof. DAVID. MAVCHARTI, *de Therapia purpuræ, recepta tutiori solidiorique.*

§. VIII.

Materia purpuræ est latex lymphatico-ferosus in minimis vasculis cutaneis stagnans. Hic aut jam ante expulsionem fuit corruptus, aut demum stagnando aliquam subiit corruptionem. Duplicis itaque generis purpura existit, & utraq; tam artis, quam naturæ opus esse potest; Artis, & salutaris quidem, si per idonea medicamenta materia corrupta & aliter derivari nescia, expellitur. Sin autem, ut in febribus acutis, ubi exanthema hoc sponte natura non ortum fuisset, & peccans materia tutiori via ejici potuisset, & causæ illæ §. VI. ex Dn. de Hæn allegatæ & a Medicis ineptis repetendæ obtinent, tum purpura male artificialis ingeneratur maximo certe ægri periculo, qui sic Artis sinistrae

b) Cfr. Aphor. BOERH. 723. sqq.

fit victima. Quodsi quæras, an igitur in purpura aliisque exanthematicis morbis, sive jam ortis, sive adhuc oriundis & expectandis, ἀλεξίφάρμακα, bezoardica, profint, an noceant? respondendum erit ex Ovidio:

Temporibus medicina valet, data tempore profunt,

Et data non apto Tempore vina nocent.

Naturæ vero opus esse posse purpuram, inde consequitur. Quod si materia quædam corpori humano vivo infusa per arterias sensibiles oberrat, & vim vitæ excitat, tum ea, lege a sapientissimo & benignissimo CREATORE sancita, eo tendit, ut quicquid corpori nocivum est, expellatur. Perceptio enim & motus ita hic sibi invicem respondent, ut, quamprimum nocivi quid in corpore adest, nervi quasi custodes irritati, quicquid irritabile est, in consensum trahant, quia συμπαθία πάντα teste HIPPOCRATE, ut sic per expulsionem nocivorum corpus servetur. In casu igitur substrato, ubi partes sensiles a materia quacunque irritante vellantur, (talibus vero materia ope salium extricatorum maxime agit^e) arteriæ renituntur & per motum progressivum æque ac intestinum, nociva e corpore protrudunt. Si enim per solum motum progressivum expulsionem materiæ cujusdam peccantis obtineri statuas, statuas quoque oportet, semper totam M. H. debere evacuari, quia tota intus inquinata est. Sin autem materia talis Massæ H. non sit immixta, tamen soli motus exorbitantes totum circulum ita possunt augere, ut humores in vasa minoris generis, diametro illorum globulorum alias non respondentia, & in nostro casu serum, & subinde sanguinei quoque globuli
in

e) S. D. PRINGLERS *Versuche und Beobachtungen über septische und antiseptische Substanzen* p. 425. f. Die schädliche Theile gefaulter Substanzen bestehen in einer gewissen Vereinigung des schweflichten principii mit dem salzichten, die nicht nur die allerreizendste stimuli der Nerven werden, sondern auch in die Säfte als ein faules ferment zu Beförderung oder Fäulnis wirken; Das φλογισον des Faulen allein ist vielleicht dem Geruch unempfindbar, und wann es der Salze beraubt ist, niemals pestilenzialisch.

in vasa lymphatica cutanea intrudantur, ibidem stagnent, & purpuram constituent, formentque.

§. IX.

Probe autem intelligo, non omnes ita sublatas esse difficultates. Quæri ultra potest: Vnde materia illa ad corruptionem vergens? Illa, respondeo, vel adventitia est undecunque illata, vel sponte in generata motibus nimis aut irregularibus, quibus vel optimi humores perturbari & variis modis, præsertim salibus extricatis corrumpi atque ad putredinosam usque dyscrasiam disponi possunt.

§. X.

Vt res clarior evadat, exemplis quibusdam rem illustrabimus. Experimur oriri purpuram morbis in inflammatoriis, ubi sæpe regimen & medicamenta calefacientia sanguinem, qui diu jam stagnavit, adeoque jam aliquem corruptionis gradum subiit, exagitant. Idem eodem modo quam maxime accidit in febribus catarrhalibus. Neque raro purpuram male artificialem efficiunt aliæ omnis generis evacuationum suppressiones ineptæ. Quin & materia verminosa retenta, vermibus nempe per anthelmentica occisis, nec tamen e corpore expulsis *cet.*

§. XI.

Ad infortunia & naturam morbi illius, à quo enascuntur exanthemata purpurea, etiam referri potest contagium, quod & ipse Illustr. de HAEN in *Febr. Divis. p. 77.* agnoscit: *Sic inquit; malum propagatur & epidemicum fit.* Sed & hoc in casu, raro, quod mireris, adeo sæviet purpura & petechiale exanthema, ut sub iusta medicatione tantam edant stragem, quantam alias edere solent purpuræ & petechiæ male artificiales.

§. XII.

Puerperis quoque, teste MOLINARIO, l. c. aliisque, frequens est purpura. Medicamenta & regimina calida ejus certe efficaciam sunt, ut puerperis præsertim plethoricis & diætæ lautæ antea addictis exanthemata hæc arte sinistra extorqueant. Ea enim
lochiam



lochia vel imminuunt, vel plane supprimunt, vel commovendo circulum sanguinis perturbant. Hinc recte JUNKERVS in *Therap. spec. Tab. XVII. De suppressione Lochiorum, sub causis*, ita pronunciat: *In causis* (sc. suppressionis lochiorum) *est abusus calidorum remediorum*; Quando enim talia pro lochiis imminutis adhibentur, completa facillime suppressio producitur: Huc pertinent myrrhata, crocata, sales volatiles cet. Colliguntur enim tum grumi in uteri cavo, qui in loco tam calido extra circulationis connexionem positi, & quasi ovo philosophico inclusi, mox in putredinosos resolvuntur halitus, qui deinde per venas bibulas, quarum myriades in omnis corporis cavum hiant, d) ad integram sanguinis massam devehuntur, ibidemque ut fermentum putredinosum longius serpunt, omnes humores inquinant, & hac ratione etiam solida in consensum trahunt, funestamque ipsis inferunt putredinosam *νεκρωσιν*. Quæ omnia valde augentur & accelerantur per ipsa medicamenta & regimina calidiora. Quodsi vires vitæ ex antecedentibus, v. g. enormi hæmorrhagia, vel gravioribus partus laboribus, jam fractæ sint, purpura eo facilius fit maligna. (e) Sin autem integræ, & morbo debellando adhuc pares sint, minus malignum hoc observabitur exanthema, quo in casu, licet non semper, vitæ discrimen evadunt misellæ. Ita si in utero vel notabiliores sanguinis grumi vel secundinarum partes restiterint, nec medica & chirurgica arte evacuari vel eximi possint, eadem evenient, sicque causa antecedens infortuniis, consequens vero & proximior ipsius morbi naturæ tribuenda erit.

§. XIII.

Egregie igitur conciliari possent, hic dissentientes, modo amor dissensus non tantus esset. Patet enim ex dictis, purpuram

d) CARTHEUSERVS in *Fund. Mat. Med. P. I. p. 31.* repetit ex LEEUWENHOEKIO, in puncto corporis, unius fabuli granulum æquante, vasorum halituosorum hiantium reperiri 12500, quæ etiam de canaliculis ex venosa profapia valeant.

(e) Cel. TISSOT in *Tentam. de Morb. ex Masturb. p. 201.* in hoc ipso ponit malignitatem inquiens: *Malignitas mihi est nihil aliud, nisi defectus vis vitalis, deficientibus præsertim, aut alteratis spiritibus animalibus.*

ram plerumque oriri ab humore jam secreto, inque aliena loca delato. Et utrumque sane tam accedente arte incongrua quam sponte morbi præcedentis natura contingere potest. Idem quoque de petechiis statuendum esse, nemo non videt in ætiologia medica vel parum versatus.

HYDROPS.

§. XIV.

Differamus jam de diro illo morbo chronico, quem *hydropem* vocant. Etiam hunc, cheu! sæpe sæpius arte sinistra produci negari nequit. Etenim ab insciis Empiricis penitiorum Corporis humani qua *mixti structi* re ejusque organisationis cognitionem, sine qua tamen *Medicus*, ne cogitari quidem potest, quis requirat? Medicus sane non in chemia anthropologica non versatus nec Anatomicus non est Medicus. Clariora vero principia de medicamentis, eorumque modo operandi, *Practico* in qualitatibus occultis acquiescenti summe necessaria postulat, explicatio hydropis ex causis suis, quas partim Anatomicarum, partim aliarum rerum theoreticarum ignorantia attingere nequit. Neque obstat non nos semper attingere rerum rationes. Namque

Felix, qui potuit rerum cognoscere causas,

Ille demum metus omneis, & inexorabile fatum

Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Virgil. Georg. L. II.

Sed ad rem propius tangendam.

§. XV.

Hydrops supponit feri aquosi stagnationem, & collectionem in cavis corporis animalis. *f)* Collectio ad est l. veri liquidi serosi, vel halitus vaporisve alias naturalis & in cavis corporis semper præsentis, qui in lympham mutari & condensari potest. Latex serosus l. lymphaticus colligitur, l. in propriis vasis, quæ is mi-
B rum

f) Confer. BOERHAAV. *aphor.* §. 1215.



rum in modum distendit, l. in alia cava corporis effunditur, ex iisdem vel ruptis vel saltem dilatatis.

§. XVI.

Hydrops qui vaporibus naturalibus condensatis suos debet natales, ita concipiendus est. Vaporosum liquidum in cava corporis semper & ubique & continuo ex arteriis exhalantibus destillare in vivis animalibus dissectis manifesto edocemur. Totum corpus perspirabile est ab omni sua superficie externa & interna: Hi halitus in aquam condensantur & in majores sphaerulas abeunt sensim, nisi resorbeantur debite ut in statu sano id fieri solet g) sub quo semper obtinet æquilibrium & æqualis ratio inter exhalanda & inhalanda. Quod si igitur hæc proportio, hoc æquilibrium a quacunque causa tollatur, ita, ut copia secreti laticis seroso lymphatici major sit quam resorpti, tum sic collecti abundantis hujus liquidi succedit spissatio tenuiori ejus portione tantum resorpta. Accidit id autem eo facilius, quo plures particulae roscidæ in eodem collectæ sunt spatio, eo major enim oritur cohesio, seu, si mavis, attractio, quo facilius & frequentior eo ipso est earum contactus h). Evenit id præsertim rigore corpori calidis his vaporibus scatente subito applicato. Sic ex haustu aquæ gelidæ hydrops ortus sæpe legitur. Hinc serenus SAMMONICUS de Medicina C. XXVII. ita canit:

Corrupti jecoris vitio vel splenis acerbus

Crescit hydrops, aut cum siccata febre medulla

Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem;

Tum lymphæ interius vitio gliscente tumescit,

Secernens miseram proprio de viscere pellem. —

§. XVII.

Causæ hujus explicationem tangit Ill. v. SWIETEN l. c. p. 193. existimans, ideo hydropem a potu nimio frigido produci, quia hoc modo, cum excretiones subito sufflaminentur, pro-

g) Vid. Ill. v. SWIETEN *Comment. in aphor. Bærhaavii T. IV. ad §. 1216.*

h) Confer. HAMBERGERI *Elem. Physices. C. III. §. 140, sqq.*

portio partis aquosæ in sanguine excedat, hæcque dein per tenuiores ramulos secretorios deponatur in cava corporis. Corroborare vult hanc sententiam experimento Cel. HALEs, qui in vasa corporis aquam injecit calidam, sperans, aquam transituram esse per omnia vasa arteriosa & venosa, sed non successit eventus, aqua enim non redibat per venas, sed per minimas arterias, per quas sanguis ruber transire non poterat & in vacua interstitia membranæ cellulosæ penetrabat. l. c. p. 191. At si hoc modo hydrops oriretur non frequentior modo ubique esset, sed inevitabilis semper illis, qui in paroxysmo febris intermittens sub ipso frigore aquam copiose ingurgitant. Tentare liceat aliam hujus causæ explicationem. Vaporibus calidis scatent, ubique omnia corporis cava & interstitia. Simulac corpus quoddam frigidius viciniam eorum tangit, statim particulae igneæ, a quibus calor horum vaporum, (omnis enim calor a sui generis particulis igneis est) versus corpus densius & frigidius moventur deseruntque, quibus antea adhærebant, vapores. HAMBERG. l. c. C. X. p. 508. *Vapores, inquit, calidi copiose moventur versus loca frigidiora. Igneæ hinc particulae, cum particulis vaporosis coherentes, tendunt versus loca frigida.* Contingit hic itaque species præcipitationis. Vapores enim, orbatî particulis igneis coibunt in guttas, eodem fere modo, quo videmus in hypocausto vapores in guttas condensari ad fenestras frigidiores. Ponas jam, parvam tantum qualitatem in verum liquidum condensatam esse, huncque laticem, si vel paucae tantum guttæ sint, in cavo aliquo, in quod tam innumeræ arteriolæ exhalantes hiant, stagnare, mox reliqui omnes vapores, vaporum forma secreti in amplexum ruent cum liquido antea præsentem, utpote specificè graviori, secundum legem cohesionis, & cum eodem unum constituent corpus, densiusque fluidum. Idem videre licet in præparatione aquæ fortis, ubi in amplum excipulum aqua infunditur, ut sub destillatione spiritus nitri, rubrorum vaporum forma prodiens inibi condensetur & aquæ se insinuet i). Erunt, qui excipient, si hoc modo hydrops generaretur, necesse fore,

B 2

fore,

(2) Vid. VOGEL *Institut. Chem.* §. 428. seqq.



fore, ut dimidia hominum pars hydropica fieret, quia pauci sint, qui gelida se nunquam ingurgitaverint corpore calente. Sed respondeo, hanc hydropis genesin non nisi ceteris paribus intelligendam esse, & morbum hunc ita evenire tantum sub certis circumstantiis, quæ hæc fere sunt: *a)* supponitur hic, aqua gelida copiosius ingurgitata, *b)* quies corporis antea calentis; *k)* Hoc enim modo guttula, quæ semel coit, non potest amplius in halitus resolvi, id quod forte sub motu corporis continuato possibile adhuc fuisset; calor enim sufficiens requiritur ad transformationem aquæ in vapores. Pertinet huc assertum Magni BOERHAAVII *Aph. 1228. Hydropis causa est omne id, quod liquida in cavitatibus deposita tam parum movet, ut non exhalent, nec resorbeantur. c.)* Supponitur hic insuper individui conditio debilis, & defectus caloris vitalis; item excretio non subsecuta cet. vid. BOERHAAV. *l. c. §. 1229.*

§. XVIII.

Consideremus jam causas sublatis æquilibrii inter exhalationem & inhalationem: Hujus vero causas ponimus in vitio & solidorum, adeoque in fibra præternaturaliter stricta vel laxa, & fluidorum variis modis perturbatorum. Licet enim humorum vitia varia ut consequentia e vitiis solidorum considerari possint, quia vix unquam cacochymia solidis rite constitutis oritur, tamen humores male constituti heic peculiarem merentur considerationem, quia inter alias maxime ut causæ efficientes agunt, uti exsequentibus patebit.

§. XIX.

Inhalationum exhalationumque æquilibrium tollitur, simulæ resorbenda resorberi nequeunt. Hoc primo fit ob fibram præternaturaliter strictam. Nam venis resorbentibus strictis via resorben-

(*k*) Huc trahit ex Ill. v. SWIETEN locum HIPPOCRATIS; qui ita: Quum quis per æstatis tempus ex longo viæ itinere in aquam pluviam & stagnantem inciderit, eamque avide copiose biberit, hydrops contingit: Hic interea si incedat, nihil mali videtur habere; quum autem ab incessu cessarit solque occiderit, confestim multum laborem exhibet.

bendis occluditur. Stringi vero eas posse, dubium non est, quia non ipsæ modo fibris muscularibus, rarioribus licet & exilioribus instructæ sunt, sed & omnes in vivis fibræ mollium partium insigniori vi contractili gaudent. Ita HALLERUS in *Prim. Lin. Physiolog.* p. m. 46. *tenuis est quidem, inquit, venarum fabrica, tota levis, ægre in membranas separabilis, in qua rara loca sunt, in quibus fibras musculares demonstras.* Sed vim tamen venæ resorbenti tribuit Ill. v. SWIETEN l. c. T. I. p. 58. inquit: *Illā vis, quā minima orificia venosa imbibunt ex cavis corporis locis effusos humores, crescit & decrescit proportionaliter ad circulationis vires.* — Et, nisi fibræ hic concedantur musculares, certum tamen est, venarum quoque membranas nervis non destitutas esse, per quos earum vis contractilis sollicitari potest, ut exitus & ostiola earum vel ex parte vel plane occludantur. At, regeret aliquis, hac ratione non venæ tantum, sed & arteriolarum ostiola clauderentur adeoque impedita licet resorptione, tamen æquilibrium inter exhalationem & resorptionem non tolletur, siquidem simul sufflaminato & affluxu & refluxu quantitas retenta manebit eadem, quia nec augeatur, nec minuitur. Verum enim vero conditio venarum & arteriarum non est eadem. Duobus præcipue sese distinguunt arteriæ a venis, 1.) elatere & vi contractili majori, 2.) majori vi motorum in ipsis fluidorum, quatenus a corde primum habent impulsū. Elater ergo arteriæ impedit, quominus leviores causæ tantam in eam habeant vim, quantam habent in venas debilioris structuræ. Corpus autem ut cum Ill. HAMBERGERO l. c. §. 71. loquar: *elasticum est, quod vi externæ resistit, mutatum tamen ab eadem, sese ex alia causâ, quam ex pondere in pristinum statum restituit.* Impulsus quoque humorum in arteriis contentorum leviores obstructions ortas tollere, vimque aliquam latera arteriæ prementem superare juvat.

§. XX.

Adstrictionem præcipue efficiunt medicamenta adstringentia vel etiam tonica diutius justo, vel nimis larga dosi adhibita. Adstringentia enim & ab his petita sic dicta tonica non nisi gradu differunt. 1) De ipso vero modo operandi adstringen-

B 3

tium

1) Vid. Cel. VOGELII *Hist. Mat. med.* §. 63 — 65 & CARTHEUSERI *fundament. Mat. Med.* P. I. S. VI. C. II. §. 3. Adstringentia mitiora solidiorum



tium loqui heic locus non est, cum id integram postulet tractationem. Sic intempestivus Cort Peruv. usus, sæpius, quam quidem vulgo putant, Lernam malorum hydropicorum producit, licet, si debite adhibeatur, egregium alias sit remedium. Venena quædam temere in Materiam medicam introducta pariter haud plane dissimili multoque magis pernicioso modo nocent. Agunt enim inimicissime in totum nervorum systema, spasmos aliaque mala atrocissima & damna permanentia non inducunt modo sed & mortem accelerant inferuntque *m*). Subit in animum, quod nuper de Cicuta legi dans les Gazett. salutaires Nro. XXXIII. de l'annee 1764. — *Ce Vegetal est contraire aux nerfs, & cause chez plusieurs des douleurs dans la poitrine, une toux sèche, des spasmes, vertiges, maux de tête, & une espece de melancholie sombre.* — Reliqua taceo, quæ interne semper cum periculo adhibentur. Potus gelidus, corpore calente abunde & subito assumtus æque adstrictionem in visceribus efficere potest, qua frigidum nempe actuale, adeoque præter dictos & hoc modo nocivum est.

§. XXI.

Præterea fibra quoque præter naturaliter laxa ingenerando hydropi diversimode opitulatur. Laxitas hæc existit vel in vasis arteriosis, vel in venosis, vel in utrisque. Quodsi ea sit in arteriosis solis (qui casus autem rarior est) illæ vel collabescunt, ut secretio vaporis non amplius succedat, quo in casu coalitus viscerum contiguorum orietur, vel adeo dilatantur a fluidis a tergo prementibus, ut nato sic majori diametro lympham copiosius transmittant. En hydropem dictum §. XVII. Sin in venis ea existit laxitas tum vel justo ampliora redduntur eorum ostiola, vel collabuntur. Vtroque casu non potest non impediri humorum reditus. Sinenim justo ampliora redduntur, fit, ut resorbendum resorberi nequeat. Denegatum nempe sic ipsis est officium tubulorum capillarium, quorum instar resorbenda sugunt. In tubulis autem capillaribus fluida eo altius ascendunt, quo angustiora sunt vasa *n*). Alti-

rum attoniam corrigunt. — Adeoque adstringentia mitiora & tonica eat-
nus sunt synonyma.

m) Confer. WEPFER De Cicuta aquatica pag. m. §. seq.

n) Vid. HAMBURG l. c. §. 167. Sch. 2.

Altitudo igitur fluidi ascendentis est in ratione reciproca ad amplitudinem tubulorum. Quo ampliores itaque tubuli, eo minor altitudo fluidi ascendentis; diametro autem tubuli aucta usque ad certum terminum, altitudo tandem erit = 0. i. e. resorptio nulla. Si vero collabuntur sub nimia laxitate pariter iterum suspendentium reditumque humorum. Vis, venæ resorbentis ostiolum apertum tenens ipsius est elasticitas, tonus, vis vitalis. Sublata vero causa, tollitur effectus, imminuta ea vi, imminuetur venulæ apertura. Ea sublata plane, collabescet omnino, claudetur via, adeoque regressus humoris suspendetur. En exemplum, unius ejusdemque effectus a causis plane diversis producti. Resorptio halitus vaporosi sufflaminatur eadem a fibræ laxitate.

§. XXII.

Sin una laxata infirmantur & arteriæ & venæ combinabuntur omnino causæ dictæ. Omnis circulus his in locis sufflaminabitur qui in statu sano adeo vegetus est. Digna sunt, quæ huc trahantur verba Ill. V. SWIETEN qui l. c. p. 189. seq. ita differit: *Cum impetu efflatur ex arteriis exhalantibus roscidus ille vapor, & eadem vi videtur introprimi in venularum patula oscula. Nisi ergo vis vitalis valida adsit, quæ humores circumducatur, minori cum impetu ex arteriis exibit ille vapor, minori vi urgebitur in venas, unde etiam languidis & debilibus magis infestus est hydrops, robustis & alacribus minus. Omnia ergo, quæ vasorum robur debilitant, ad hydropem disponunt.* — Nec tamen omne tulit punctum hæc hydropis ex debilitate explicatio. Necdum enim inde perspicitur, quæ & qualis ea sit vis, quæ fluida illa intrudat in venulas resorbentes, nisi quidem eam ex vi cohæsionis explicare velimus. §. XXI.

§. XXIII.

Elasticitatem fibrarum minuunt medicamenta, quæ dicuntur relaxantia. Quæ ingrediendo canales, eorum texturam replent mollioremque reddunt o). Medicamenta etiam, quæ vehementiorem aliquam contractionem efficiunt, quam juxta legem in œconomia animali exscriptam & ex certis atque indubis observationibus cognitam, excipit eo major relatio, quo
major

o) Vid. B OERHAAVE *De viribus Medicaminum*, Cap. III.



major prævia fuit contractio. Id quod sibi vult illud ab omnibus Oculatioribus Practicis receptum: Omnem spasmum excipit atonia. Huc spectant omnis generis acria, irritantia, stimulantia volatilia, de quibus ita JUNCKERVS in *Therap. spec. Tab. LVI.* — Sales volatiles varia incommoda, præcipue œdematosos tumores, & tandem asciticos inducunt. — Crebriores porro V. Snes, quemadmodum & aliæ excedentes hæmorrhagiæ, calorem vitalem subducunt, vim vitæ minuunt, quum hoc sensu anima carnis in sanguine est p). Cel. rerum medicarum Sacerdos, SAM. CARL, vir, cujus pietatem & eruditionem forsan non omnes æque æstimare norunt, plura hanc in rem produxit in tractatu de V. Snis abusu q). Eadem urget in *Medicina Pauperum C. IV.* inquiens: *Durch Aderlassen wird die Natur alterirt und geschwächt, wann auch eine Krankheit schon im Aufsteigen ist, so schwächt das Aderlassen auch gar sehr.* — Deficiente certe penu, deficit omne inde promendum, exantlato fonte spirituum animalium, ipsi spiritus, fluidumve nerveum deficient. Dolendus maxime est abusus præservatoriarum, quas vocant, V. Snum. Memorabile hujus rei legas exemplum in *Ephemerid. Natur. curios. D. II. A. II. obs. 169. p. 381 seqq.* Cel. Doctor VNZER, quem Auctorem Libri illius, qui *der Arzt*, inscribitur, esse dicunt, l. c. *I. Th. II. St. p. 17.* abusum hunc graphice ita depingit:

At!

p) *Levit. XVII. vers. 11 & 14.*

q) Cel. TISSOT idem docet: *Anleitung für das Landvolk*, p. 575. dicens: *Wiederholte Aderlassen schwächen, entkräften, befoerdern das Alter, vermindern die Stärke des Kreislauffes, und machen auf diese Weise den Leib alsobald fett; hernach stürzen sie, nachdem sie den Leib allzusehr geschwächt und endlich die Verdauung verdorben haben, in die Wassersucht.* Consentit Cel. Dn. RUDOLPHUS JACOBUS CAMERARIUS *Dissert. de abusu V. S.* ubi pag. 17. ita. — Aft ah! quam funesta Catastrophe! Vix enim aliquot annis hæc scena ludebatur, & exhaustis spiritibus tam crassam molem & insanam subtractionem hæcenus ægre sustinentibus lethalis hydrops accedens non tantum tragœdiæ hujus, sed ipsius quoque vitæ epilogum egit. — Et pag. 18. Ingens hinc omni jure censetur error, quando Suevi nostri ad minimum bis in anno extra necessitatis casum V. Sne abutuntur, nec debent mirari, si varias molestias inprimis, ad Cachexiam aut hydropem dispositionem sibi parant conciliantque. —

*At! O Deorum, quisquis in cælo regis
Terras & humanum genus
Quid iste fert tumultus?*

Wie lauffen Barbierer und Bader? Wem jagen sie nach? Wollen sie erretten oder tödten; u. f. w.

§. XXIV.

Fluidas corporis nostri partes præternaturaliter constitutas inter præcipuas hydropis causas jure poni, indubium est. Pleniorẽ hujus ætiologiæ tractationem suscipere, alienum hic foret, suffecerit pro scopo præsentĩ considerasse duos maxime illorum status præternaturales, spissitudinem nempe, & fluiditatem nimiam, sive justæ tenacitatis & cohæsionis defectum.

§. XXV.

Quo modo humores justo spissiores ad generandum hydro-
pem concurrant, dictu adeo difficile non est. Humores enim spissi, lento moventur circulo, hinc vasa sub eorum mora replentur, distenduntur, infarciuntur, obstruuntur. Id quod præsertim in venis evenit. Venæ spisso repletæ sanguine non recipiunt red-
cem laticem seroso-lymphaticum, si huic etiam via adhuc patula esset in vasis ipsis lymphaticis. Hinc debita & perfecta non fit se-
cretio lymphæ in ipsas venas revehendæ. Affluxus ex arteriis exhalantibus interim non cessat, unde collectio, qua tollitur æqui-
librium & debita proportio inter secernendam & resorbendam lympham. Inde ergo colluvies hydropica. Neque sola hac ratio-
ne vasa resorbentia in sua impediuntur actione a venis, sanguine spisso infarctis. Hæ etiam repletæ, distentæ, gravatæ, pressæ pre-
munt iterum vasa resorbentia, eademque ita occludunt, lymphæ-
que viam denegant. Cujus vero spissitudo non a solis diætæ vitiis repetenda est, sed sæpissime etiam per ipsa medicamenta hydra-
goga producitur, quo referenda præsertim sunt ea, quæ evacuando partes seroso-lymphaticas, rationem globulorum rubrorum ad reliquas augent, adeoque sanguinem spissiore reddunt & tenaciorem. Quin sudores nimii multum liquaminis subtrahendo

do sanguinem spissiore reddunt, ut cum JVNCKERO loquar.
v. *Therap. ejus spec. Tab. XV. p. m. 116.*

§. XXVI.

Paradoxum magis videri posset morbi hujus caussis ad numerari nimiam humorum fluiditatem: Cogitari posset humores eo facilius trajecturos esse vasa, minima etiam, quo illi essent tenuiores. Verum, enim vero qui cogitaverit, primariam secretionis legem esse cohæsionis legem, is certe aliter statuerit. Cohæsiō augetur pro ratione massæ *r*). Imminuta massa, minuitur cohæsiō; in sanguine v. fluidiore minor est massa quam in spissiore. Quo tenuius est fluidum aliquod, eo minor ipsi est massa, & vice versa. Quo fluidior igitur est sanguis, eo minor ejus massa, quo minor ejus est massa, eo minor ejus est cohæsiō, quo minor hæc est, eo minori certe copia ejus particulæ secernendæ intrabunt in vasa secernentia & resorbentia *s*).

§. XXVII.

Producunt nimiam hanc resolutionem medicamenta sic dicta resolventia, colliquantia, quæ temporibus & præbiis injustis præscribuntur. Eidem malo favent & V. Snes frequentiores justoque largiores. Subducunt istæ globulos rubros, qui tardius restituuntur. Novi amicum, qui, quamdiu vena ipsi secaretur, sudoribus, æstate præsertim, prope difflebat, quod antea ipsi nunquam accidit. Omissa v. hac vernali & autumnali V. Sne, ut antea putabat, præservatoria, nil amplius horum in commodorum sentiebat.

§. XXVIII.

Inter hydropis causas referri porro debet partim viscerum obstructio, partim aucta & accelerata liquidi vaporosi secretio. De utraque causa hic quædam addenda sunt.

§. XXIX.

r) Confer. HAMBERGER l. c. C III De cohæsiōe corporum.

s) Ill. v. SWIETEN l. c. p. 187 — Sententiæ huic ita subscribit: Optime notavit celeberrimus de SAUVAGES, *Dissert. sur les Medicam* p. 12. humores sanos habere certum visciditatis gradum, per quam adhærent lateribus vasorum. — Si jam non amplius bonus & firmus sanguis producitur, sed in aquosam tenuitatem degenerare incipiant humores, minuitur illa adhæsiō ad latera vasorum. —

§. XXIX.

Quod ad priorem causam, viscerum nempe obstructionem, in ea vel ipsa vasa resorbentia coalita sunt vel viscido obferata vel mole adjacentium partium compressa, quod maxime in hepate adeo denso & vastissimo viscere contingit, vel ab effuso ex ruptis vasculis humore pressa, quibus omnibus in casibus hydro-
pis genesis facilitatur:

§. XXX.

Neque minus malo huic fomitem præbet vaporosi aucta se-
cretio, qua denuo tollitur æquilibrium. Eadem enim vis, quæ
auget exhalationem, non itidem augebit resorptionem, quid?
quod potius eam ut plurimum imminuit. Arteriolæ enim majori
humorum copia distenduntur, distentæ premunt venas vicinas,
vasaque bibula tenerioris texturæ, quæ suo igitur officio libere
fungi nequeunt. Ita vero fit, ut non modo tanta quanta fecerni-
tur copia non resorbeatur seroso lymphatica hæc materia, sed
& ut ne tantum quidem ejus liquidi revehatur, quantum alias in
statu naturali ejus non abundantius affluentis resorberi deberet.

§. XXXI.

Hydropis causæ, ut succinctam BOERHAAVII ætiologiam,
quam habet *Aphor. 1229.* in compendio nostram faciamus, sunt:
1) *Dispositio gentilitia*, 2) *potus nimius frigida aque subitus, neque*
vomitu, neque alvo, neque sudore, neque urina, calore, potuve ex-
citatis, excretus; 3) *morbi acuti, inprimis ardentissimi, sive cum siti*
potuve inexplebili, sive sine his: 4) *Dysenteria lienosa, diu perma-*
nens; 5) *omnes pertinaces viscerum obstructiones, ut scirrhi hepatis,*
lienis, pancreatis, mesenterii, renum, uteri, intestinorum. 6) *Icte-*
rus: 7) *Quartana sava ac diuturna*; 8) *Lienteria*: 9) *Diarrhoea*:
10) *Dysenteria diuturna*; 11) *Coeliaca*: 12) *Empyema, phthoë*
13) *Podagra*; 14) *Evacuationes quæcunque nimia, maxime sanguinis*
arteriosi: 15) *Haustrum acrium, fermentatorumve liquidorum*: 16)
Vitæ tenacium, durorum; 17) *hydatides ingentes, plures, in ab-*
dominis cavum pendula, & plura similia, ut 18) *melancholia,*
19) *Scorbutus &c.*

§. XXXII.

Quas sic promiscue sibi oblatas hydropis causas commemorat BOERHAAVIUS, eas omnes mala arte produci non posse modo, ratio, sed & prohi dolor! actu produci experientia docet omnino tristissima. Meam hac in re, utpote tyronis experientiam, quantumvis non sit nulla plane, excitare non ausim. Loquuntur eam viri in arte nostra exercitatissimi & qui vere dicuntur experientissimi. Quoties vero ejusmodi effectrices morbi causæ male artificiales existunt, toties sane ipse, qui istis producitur morbus, hydrops nempe eorum effectus, pariter male artificialis existit. Qualis enim causa talis effectus cognominis omnino. De gentilitia dispositione quidem tantum nec de causa effectrice nro. 1^{mo} loquitur BOERHAAVIUS. Sed vel à potiori is hic loquitur, vel termino hoc non rigorose philosophico utitur, quemadmodum & alias locutus est ad genium seculi, quod pulcre ornata de rebus eleganter & breviter dicendi facundia verbo: *diserate* seu *dialectice* prodita mavult, quam pulcre nuda de iis dicamneque an magis eleganti strictaque atque acutius concisa? dicendi simplicitate verbo *technice*, seu *logice* exarata. Posterius etenim propius evidentiusque exprimit, quam innuo pulcerrimam omnino, planissimamque nec nisi obscuris obscuro ulli ullo amplius modo veritatem nuda pulchritudine profitentem simplicitatem, certe non aliam quam logicam, quam inimici non nisi vicissim spernendi spernunt & quasi nauseose prolixam & scholasticam derident artis osiores suæque ipsorum vel ignorantiae vel oscitantiae, ignaviae, fociordia & negligentiae proditores, ut istos a *Magnif. Dn. PRÆSIDE* cum de methodo discendi medicinam plana & simplici, differebat, repudiatos esse lego in meis ex ore suo exceptis annotationibus. Sed ad rem! Hydrocephalo aliisque hydropibus laborantes à parentibus suis prognatos fuisse, ab experientia scitur. A parentibus potius quam à nascendis id mali repetendum & ab illis ad hos devolvi, dubitari nequit. Neque minus dubium esse potest, sæpe sæpius incongruis id effici medicationibus maxime graviditatis tempore. Hydrocephalus externus saltem facillime & frequenter ineptis utriusque sexus obstetricantium manibus producitur. Id quod &
Cel.

Cel. J. F. CARTHEVSEVS in *Fundamentis Pathol. & Therapiae* asserit *P. I. Sect. II. Cap. VII. §. IV. p. m. 2.* inquiens, *Hydrocephalus externus ob varias sub partu difficili capiti illatas lesiones, facillime accidere potest.* Idem & Cel. JUNKERVS (in *Chirurgiae suae Tab. XXVI. §. IV. l. 2.*) confirmat, ubi non de externo tantum sed & de interno adeo hydrocephalo ita habet: *Der innerliche Wasserkopf ereignet sich, wenn in schwerer Geburt des Kindes Kopf heraus kommt, die Brust aber nicht so bald nachfolget, so entstehet durch das Ziehen und Spannen des uteri und der venarum jugularium gleichsam ein Würgen, (en! causam mali male artificalem tribuendam saltem neglectui artis, quæ digitis sub impedito hoc exitu foetus interpositis id genus mali præcavere docet.) und auf diese Weise wird eine grosse Menge Wassers nach dem Kopf gepresst. Dergleichen Strictus entstehet auch, wenn die Hebammen mit ungeschickten Händen den Kopf des Kindes grob anfaßt und zusammendrückt.* Præterea etiam post nativitatem tinea per unguenta retroacta cet. in censum causarum hic veniunt, teste iterum supra laudato CARTHEVSEVO l. c. §. 4. p. m. 20. Cui hæc longius accersita esse videntur, perpendat commemoratas reliquas hydropis causas, quas toties male artificiales omnes adcuratiores Observatores Clinici in confesso habent. Si morbi acuti, teste BOERHAAVIO jam per se in hydropem sæpe degenerant t), quid, quam hoc, quæso citius certiusque eveniet, si acuti acutiores redduntur vulgari bezoardicorum & alexipharmacorum abusu u). Si morbi graviores etiam non acuti, sed chronici, si febres intermittentes & ex iis non quartana modo sed & tertiana in hoc non nunquam sponte desinit malum, quid obsecro! si febrifugis incongruis, opiatibus, adstringentibus, V. Sne in paroxysmo instituta x), sopiuntur a Practicis quasi chinatis? Hisce legere & re-

C 3

legere

t) V. Ill. Jos. LIEVTAUD *Synopsis universæ Praxeos medicæ Amstel.* novissime edita P. I. L. I. S. I. p. 94.

u) Vid. Loc. cit.

x) Vid. l. cit. p. 38. ubi egregius Autor ita: a vomitorio & V. Sne abstinendum sæviente paroxysmo; quicquid objicient, qui a calcato tramite recedere gloriantur, ut fatuorum admirationem sibi concilient.



legere suadeo, quæ alii de nocivo corticis Peruviani usu experti scripserunt. Ita laudatus LIEVTAUD l. c. p. 95. certis, inquit, cancellis contineri debet kinkina usus: ne pessimo Pseudo-Medicorum more, qui tamdiu huic cortici adherent, quamdiu protrahitur febris, ægrotantium res in pejus ruant - - - Alias, ut pluries nobis vidisse contigit (ecce tibi magnum magni Clinici Veritatis testimonium), ab immodico febrifugi usu varii emergunt morbi chronici, obstructions nempe HYDROPS cet. Et l. cit. p. 38. norunt sane, inquit, plures febricitantes præmaturo vel intempestivo kinkina usu in graviores morbos incidisse; in icterum nempe & viscerum obstructions; in HYDOPEM cet. Cit. pag. 39. Idem adeo hæc addit: nec semper ex voto succedit cortex Peruvianus in febribus intermittentibus legitimis, etiamsi solertiori manu (quid de sinistra Empyricorum manu expectaveris?) tractetur. Eadem pagina mox addit: nonnullis arridet cortex fraxini - - - sed huicce febrifugo non secus ac aliis innumeris (quibus scil. hydropica & alia quam plurima prioribus atrociora mala inducuntur) quibus turgent libri minime fidendum. Superaddit l. c. p. 44. hæcce utiliter hic repetenda: inefficacem vel noxium adversus hancce postremam (semitercianam putat, malignæ cognatam) corticem Peruvianum ex observatis colligitur. Coronidis loco addere juvat, quod aqua simplicissima egregium præbeat hujusce remedii succedaneum: hæc enim per tres quatuorve dies pro omnipotu, vel affatim hausta, citius & tutius ipsomet cortice, vel exquisitiori tertianam simplicem & duplicem abigere solet. Præterea kinkina inferioris notæ & præpostere adhibita sæpius haud levem perniciem infert. Aqua vera ni vires plane deficiant (quam vero tum analepticis corrigere licet & acuere) semper innocua censi debet. Neminem postremo Practicum fugit, quod sæpius ab usu corticis specifici febris tantummodo sopiatur, denuo reversura: sed ne nimium quidem reditus periculum incurrunt, qui aquæ beneficio curantur. Sed proh dolor! paucis arridet remedium vulgatissimum & nullius pretii: nec desunt qui, inconsulta experientia hanc dietam tenuissimam, haud citra periculum adhiberi posse, per plures dies existimant; quibus nil aliud præter PLINII effatum objicimus: qui volunt decipi decipiantur.

§. XXXIII.

Icterus hydropis causam supra porro allegavit BOERHAAVIVS. Recte quidem, quatumvis alii aliter statuant. Consentunt & alii superioris subfellii observatores. Collineat & maxime idoneus Theoreticus & Practicus Autor, modo laudatus LIEVTAVD, inquit: *illa* (colluviem vult hydropicam) *comites habet obstructions, cachexiam, icterum cet.* Conspirant nobilioris notæ Pathologi & Clinici, ut Cel. J. O. SCHACHTIVS in *Instit. Medicinæ practicæ* L. VII. C. III. §. XXV. p. m. 202. J. F. CARTHEVSEVSI. c. T. II. S. I. C. IV. §. III. p. 34. & alii plures & celebriores VETERES & RECENTIORES. Sed icterus multiplici modo male artificialis existit, præsertim ubi erronea illa adhuc obtinet hypothesis de bile in massa sanguinea retenta necdum secreta, quæ efficeret hunc morbum, quam ideo calidioribus diaphoreticis ex illa expellendam esse statuunt, & ablata occasione miserorum ictericorum damnis pedissequis hydropicis etiam expellere perverse student.

§. XXXIV.

Podagram porro hydropis causam nominat BOERHAAVIVS. Omnia, addo, mala arthritica in *gra* desinentia ejusdem morbi causæ, eæque sæpissime artificiales existunt, unde & ita inducti hydropes perbene male artificiales tristi & neutiquam arti & artificibus, sed artittis ignominioso nomine insigniuntur. Profecto si qui sunt morbi, qui mala producuntur arte, (sunt autem tales sæpe sæpius tantum non omnes), arthritici præ omnibus huc referendi sunt. Nullis enim in morbis plura dantur mala artificia, quam in podagricis similibusque arthriticis adfectibus. Hinc inter hydropis causas artificiales arthritides omnis generis referunt prope omnes Pathologi, ut testimoniis ab his allegandis frustra me L. B. molestum esse nolim. Eodem consilio prætereo & reliqua a BOERHAAVIO allata.

§. XXXV.

Præterea mireris mecum & mirabuntur forsân nobiscum quam maxime PLETHORISTÆ isti, qui plethoram, hæmorrhagias



hagias spontaneas, artificiales, nominetenus hæmorrhoides, ceteras, suppressas, in suis ætiologiis ad nauseam usque accusant, BOERHAAVIUM in allato de causis hydropis catalogo hanc omisisse causam. Addenda fuisset omnino, largior, utpote præcipua & satis frequens non sponte tantum sed & arte enascens hæc hydropis causa. Verum si quis ex dictis PLETHORISTIS BOERHAAVIO id vitio vertere vellet, is caveat, ne ipsemet nimius sit in hac accusanda causa, aut ab altera parte alios forte graviores defectus admittat pathologicos. Id enim sæpe evenire videas, ut qui ab una parte alios peccasse deprehendunt, ab altera multo magis peccare deprehendantur. Ceterum & inde palam est, quam difficile sit recepta semel & justo plus adamata hypothese evitare nimium. Attamen distinguendum est inter STAHLII & STAHLIANORVM placita, & quoad hos, inter dignos & indignos hoc nomine, qui sæpe nequidem, quæ docuit tantus Vir, capiunt & tam in theoria quam Praxi sua toto cælo discedunt ab ipso, mire degeneres. Ceterum hic præcipue annotari meretur, quod JUNKERVS in *Medicina theoret. pract.* T. LXXXVIII. §. V. hydropis causas certo ordine commemoraturus in eo primo adeo loco ponat, adeoque ipsi, quam toties accusat, plethoræ præponat male artificiales ejus causas nro. 1. hæc ponens: *quævis artificia, quæ sanguinem in orgasmum & turgescensionem perducunt, viis exitui non exacte respondentibus.* Licet in eo iterum nimius esse videatur, quod nro. 2. mox addat: *FREQUENTISSIME OMNIVM molimina sanguinis exitum non invenientia, e. g. mensum, hæmorrhoidum.*

§. XXXVI.

Liceat hic ultra nonnulla alia quibus hydropes producuntur artificia (omnia enim circa hunc vel solum morbum in hujusmodi opella quis enarraverit?) carptim strictimque indicare & coronidis loco in hoc articulo subungere. Causa materialis hydropum est serum & lymphæ vel pura sed abundans, vel spissa, vel impura & corrupta. Lymphæ ex sanguine, sanguis ex chylo, chylus ex ingestis est. Mali itaque prima origo a primis jam viis, a ventriculo & intestinis, a digestionem & chylicationem repetenda est. Qualis enim chylus, talis sanguis, qualis sanguis talis lymphæ,

pha, tales reliqui ex hoc fonte promanantes humores. Innumerae vero artes occurrunt pessimae non solum circa diætam & in culinis, sed & circa medicamina & in pharmacopoliis excogitatae, quibus coctionis & digestionis officina adeoque chylificationis negotium perturbatur. Hujus census sunt e. g. laxantia vel drastica vel mitiora etiam & bona, sed aut intempestive adhibita, aut justo diutius continuata, aut saepius, quam par est, repetita, quo referendus praesertim est usus apud multos prope quotidianus pilularum illarum polychrestarum, eas vendentibus potius quam ementibus ha! adeo utiles. Spectant huc superfluae sola consuetudine receptae curae vernaes, autumnales & saepe menstruae. Nec excludendae continuae prope apud hypochondriacos & hystericos, medicationes praesertim per pulveres illos cinnabarinos, nitrosos, antispasmodicos ventriculo & digestioni in eo adeo infensos, quos toto anno deglutunt. Quin hic non eximenda sunt ipsa stomachica, alias vel optima, & quando nullum in ipso haeret vitium ingesta, quibus ergo tanto magis accensenda sunt ventriculo roboranda & flatibus discutiendis dicata, incongrua & noxia saepius sic dicta confortantia, carminativa, digestiva & centena alia, quibus innocens saepe torquetur ventriculus. Praecipue hic nominandus est abusus martialium in malo hypochondriaco y).

§. XXXVII.

Causis hydropum male artificialibus recte porro adduntur; vincula, cruces ferreae, thoraces strictiores non modo ordinarii, in quibus, quam iis carere, miserae chloroticae fieri malunt hydropicae, sed & chirurgici apud rachiticos, venena adstringentia juxta SCHACHTIVM l. c. §. XXV. topica, quae erysipelata repellunt juxta JUNKERVM in *Medicina theoret. pract.* T. XX. §. VIII. unguenta, addo, quae scabiosas, alia externa, quae alias a causis internis oriundas efflorescentias retroagunt. En! chirurgica etiam adeoque non in reliqua Medicina tantum obvia artificia hydropes generantia, quibus annumeranda porro sunt stuphae, sudatoria, nimiis sudationibus laticem vitalem depauperantes. *et.*

D

§. XXXVIII.

y) Vid. D. F. CARTHEVS. *Fundament. Patholog. & Therap.* T. II. S. I. C. IV. §. III, pag. 34.

§. XXXVIII.

At imminetia hydropica mala, malis & pessimis non modo producuntur artificiis, sed etiam foveantur adeo præsentia. Huc spectant quævis mala vel saltem male adhibita alias etiam vel optima hydragoga, non amplius *antihydrica* sed *hydropica* dicenda. E. intempestivus eorum usus, quando irritò conamine, quod JUNKERVS l. c. §. VIII. jam in prima cautela recte carpit, neglecta humorum præparatione, statim ad evacuantia properant, quæ præpostera medendi ratio omnino maxime est nociva. Licet enim hydragogis præsertim fortioribus mox datis tumor hydropicus evanescat, æger tamen ita in graviora mala & vitæ discrimen præsentissimum conjicitur. Sic itaque

Incidit in scyllam qui vult vitare charybdin.

Artificialium causarum ipsum hydropem foveant & in pejus mutantium nomine accusantur quoque jure meritoque *diuretica*, ut pauca ea de re ex JUNKERO huc traham, *salina drastica*, *spiritus acidi*. l. c. 2. *salia volatilia*, quæ ab initio attenuandi & aperienti scopo præbentur, sed viscera indurata magis constringunt. l. c. 3. *Sulphura spiritiosa*, *vinum generosum*, *spiritus vini*, item *salia volatilia oleosa aromatica*, quando immodeste adhibentur, facile calorem hecticum inducunt cum oris siccitate & corporis inquietudine. l. c. 4. *Sulphur minerale externe adhibitum*. l. c. 5. *Acidulorum usus*, mortem accelerans. l. c. 6. *thermæ* ideo improbandæ, quia tunc jam fracto partes magis relaxant. l. c. 7. *Helleborus albus*, qui, quod addo, tutius plane exulat, quam quovismodo correctus adhibetur. Nunquam enim satis tuta esse existimo venena utut correctæ. Aut enim nullæ aut nunquam certæ satis sunt ipsæ ejusmodi correctiones. In quo, quum alia, quæ substitui possint, semper & ubique suppeditant, a JUNKERI hac non modo sed & aliorum sententia mihi tyroni discedere licebit, cui itaque, quod omnibus, maximis etiam, profiscine id dixerim, artis Magistris, tanto magis ob oculos habendum aureum illud:

QVO TUTIUS EO MELIUS.

Consentire autem jubeor in reliquis recensitis causis artificialibus,
mor-

morbificis & lethiferis, quales sunt: mercurius vitæ, *mortis mercurius dicendus*. Cryſtalli lunæ l. c. p. 114. Cantharides, Venæſectio, ſcarificatio l. c. 19. 20. veſicatoria, ſalivatio mercurialis, ſudationes ſanguinem commoventes. l. c. 22 — 24. 2). cet.

§. XXXIX.

Qui plures hujus morbi cauſſas male artificiales detegere vult, is occaſionem id faciendi locupletiffimam deprehendet in *Celeberrimi* MONRO de illo Traſtatu, ubi egregius hic Auſtor inexhausto labore collegit contraxitque ſelectiora VETERVM & RECENTIORVM de illo monumenta. Jam ad tertium illum morbum propero, cujus cauſſas male artificiales adhuc evolvendas & publicandas ſuſſi. Dicitur ille, dirum nomen!

C A N C E R.

§. XL.

Sed nil habeo, quod extimeſcam, tacturus quoque hoc noli me tangere. Prodeant cum artificiis ſuis artifices, ſeu, ut barbare de barbaris rectius loquar, Artiſtæ, Medicaſtri, Chirurgaſtri malis peſſimisque ſuis tentaminibus non circa procreatum ſed & procreandum cancrum egregi e ſcilicet! occupati, Cancroſi hercle! & cancro ipſo magis reformidandi carcinomatum genitores, quibus equidem non propria, eo enim temeritatis haud proceſſi, ſed aliorum celebriorum omni exceptione majori autoritate ſuffultus ſine vituperabilis audaciæ metu apertius dicam ſcribere conſtitui. Præterea autoritatibus jam potius quam rationibus ætiolicis contra peſſima ejusmodi conſilia & tentamina pugnare me jubet finis & anguſtia præſentium pagellarum, quarum, quam quas volui, jam plures numero. Neque tamen nimis obiter & plane nude ubique autoritatibus ſententiam iſtis dicendam fulciam, ſed & rationes ejus, verum breviffime, interſpergam.

§. XLI.

Cancer ſcirrhi, ſcirrhus artis infauſtæ producta ſunt frequentiffima. Qui id negant, expertiores audiant. Audiamus hic

D 2

2) Conf. D. LIEVTAUD *Synopſis univerſæ praxeos medicæ* P. I. L. I. S. I. p. 97.



hic primo quidem, quia primus non modo ex illis est, cujus scripta in manus jam incidunt, sed quia facile inter Primanos in arte nostra militat, celeberrimum puto J. LIEUTAUD, Galliae decus & primarium stirpis Regiae Medicum, omnis generis doctrinis, factis, scriptisque Physiologicis, anatomicis, pathologicis, practicis clarissimum adeoque ut in aliis, in his quoque maxime idoneum Autorem testemque fide, scientia & autoritate commendatissimum. Ita vero vir illustris in *Synopsi universae praxeos medicae* P. I. L. II. S. I. p. 302. *Si accedant* (de scirrho loquitur) *phlogosis pruritus & dolor, in cancrum facessere solet; quam infaustam mutationem* SÆPISSIME *promovet maturantium & topicorum stimulantium usus.*

§. XLII.

Neque vero artificiarum istorum male facta tantummodo, sed male neglecta etiam hic accusanda sunt. Qua de eorum negligentia laudatus Autor ita habet: *Alia cancri species est cujus scilicet exordium sub tuberculi pisi vel fabae magnitudinem vix superantis, forma resistit, qui tumor exiguus & indolens diu in eodem statu perstat, vel lentissimum incrementum sumit, adeo ut de eventu parum sint solliciti aegrotantes, nec de illo magis curant* INEXPERTI CLINICI, *donec inter has fallaces inducias pristinam faciem exuat hic tumor, ab accedentibus signis, quibus in propatulum venit genuinus cancer. En!* notabiliorem artificialem hujus mali causam sine qua non. Dantur autem sine quibus ac a quibus quam plurimae aliae.

§. XLIII.

Post allata Illustr. Autor ita pergit: *præter infarctus phlegmonæ, scirrhosos & scrophulosos, aliae annotantur lesiones primo aspectu leviores, quæ cancri naturam indicare queunt, tubercula nempe simplicissima, de quibus supra, verrucae, tumores anomali, ulcera vulgatiore.* Mirum sane tam levia mala in tam grave atque adeo cancrum malum transire posse. Accidit id attamen, & accidit quidem quod maxime dolendum, vix aliter, nisi frivola artis erroribus.

§. XLIV.

Vel ullo modo tangere sic dictum hoc noli me tangere jam artis vitium esse constat, quo malum mutatur in pejus & mitius tectum-

rectumque (cancrum occultum vocitant) in manifestum & gravius ulcus, quod variis rimis dehiscente illo nunc colore livido perfusum tumore, humorem ichorosum acerrimum rodentem partesque vicinas depascentem eruât, & cancer apertus audit. Hunc adeo arte incongrua exasperari docet laudatus AVTOR monens fatius quandoque fore ab omni curatione abstinere, & omnes Auctores, ab HIPPOCRATE numero ducto quamvis curationem externam reformidasse haud inconsulto, cum infelicem exitum habuisse sæpissime hæc tentamina experientia quotidiana constat. l. c. p. 303. Quod eo magis tenendum de occulto, qui ut IDEM habet p. 304. *diutissime sæpe gestatur citra fere molestiam, qui alias ab oppositis remediis ut plurimum efferatur, & prævi in ulcus fœdissimum abit.* Cum opio, monet cit. pag. 303. *caute mercandum esse* (quis vero ab istis incautis & frivolis artistis id expectaverit!) *ne scil. infringantur vasorum vires ad resolutionem apprime necessariae & impacti succi tenaciores evadant.* P. 304. scribit: *opem præstare valent - - suffitus sulphuris, cinnabaris cet. data opera* (quam certe non dederint isti!) *ne horum fumus pulmones laceßat. Sed angue pejus fugienda sunt maturantia,* (usitata istis medicamina, qui quicquid durum est, emolliiri posse putant & debere ubique semperque) quorum actione tumores scirrhusum sæpius in cancrum faceßere experientia constat. Si demum inertiae deprehendantur hæcenus prolata remedia ad extirpationem, si finat sedes si, addo, noverint extirpationis rationem (hanc vero illamve isti quæso unde noverint?) - - - confugere nil vetat.

§. XLV.

Eadem artis opprobria eodem tenore & uno ore conquerruntur & alii nobiliores Clinici. Audiamus adhuc eorum aliquos quo & hac occasione elucescat publico testimonio, in Medicorum Scholis inter artis gnaros ut in reliquis ita ne in repudiandis adeo indoctorum imperitorumque dissonis, absonis, imprudentibus, frivolis tentaminibus, quibus & arti salutari & saluti ægrorum omnia adversissima accidunt, eam nunquam nusquamque esse discordiam diffensionemque, qua sibi quisque tendentes ita in diversa abirent, ut id volunt ineptæ istæ & sæpe amaræ, sed quam dolendæ, iterum deridendæ potius ignorantium scepticorum objectiones.

§. XLVI.



§. XLVI.

Ex scirrho canceri profopiam infaustum artis opus esse haud raro, experientia & ratione edoctus testatur *Cel. CARTHEVSE-
RVS in Fundam. Pathol. & Therap. T. I. S. VIII. C. II. §. III.* ubi *PLERVMQVE*, inquit *cancer occultus scirrhum excipit, si huic posteriori incongrua medicamenta externa admoventur.* Admoveri autem plerumque hæc ipsa innuunt verba & tristis loquitur experientia. Alias porro Canceri causas artificiales (male enim artificiales eas hic dicere superfluum esset) in sequentibus denuntiat l. c. pergens: *subinde nihilominus cessante imprimis ait suppressa purgatione menstrua, absque prægresso tumore scirrhuso a solo humoris caustici decubitu oritur scirrhus.* Quam frequens autem sit, hujus aliarumque hæmorrhagiarum suppressio incongruis artificiis facta, dictum est jam supra. His puncturam acu factam & neglectam & fortio rem compressio- nem mammarum addit, superadde: & alias harum aliarumque par- tium strictiores ligaturas, puncturas, incisiones chirurgicas. Ita etenim apte in unum conjiciuntur morborum causæ artificiales, quæ una recidunt tam in femellas arctiorum thoracium torturis lepidæ superbiæ pœnam luere gestientes misere sic tortas & ejusmodi tor- ta construentes & adplicantes, sutores puta, quam in chirur- gistros Medicaistrosve chirurgicis vinculis ægros suos torquentes. In hoc enim similitudinis tertio conveniunt utriusque nominis tortores, nec ita ab istis tortas tortosve haud omni semper culpa va- care existimaverim. Volenti etiam aliquando non fit injuria. Fe- mellæ istæ propriam suæ superbiæ pœnam luunt. Sua etiam cul- pa tenentur, qui, quam Medicorum, Medicastrorum consiliis uti malunt.

§. XLVII.

Postea Vir egregius l. c. §. IV. pariter accusat unguenta, cataplasmata, explastra aliaque, quorum adplicatione cancer occul- tus toties exasperatur & in apertum vertitur, adeoque frivola ista artificia tanto magis hic exulare vult, quo magis pro certo habet & explorato, satius esse illum, nisi tuto excindi possit, *plane intactum relinquere.* An lamina plumbea, pro modulo mammæ extenua- ta vel sibi relicta vel vivo mercurio illita ad præcavendam ulcero- sam

sam tumoris rupturam, semper tuto imponi possit, nec ne, decidendum reliquit expertis l. c. Facessant hinc isti inexperti! Plura EJVSDDEM Autoris egregia huc spectantia testimonia excitari possent. Sed aliorum alia.

§. XLVIII.

Cel. J. de GORTER in *Chirurgia sua repurgata* de corroden-
tibus acribus nascendo cancro vel obstricantibus vel nato infelicit
opitulantibus §. 1492. scribit ea, quoniam magnum dolorem move-
rent, tardiusque operentur atque plane incerta sint, neminem ho-
die admitturum esse, & frivolo ausu tentari ejusdem sectionem,
ubi recidiva metuenda esset, metuendam autem esse, si cancrosa la-
bes per massam humorum dispersa sit, si plures eo malo infectæ
sint partes, si adhæreant partibus, quæ una excindi non possint, si
natus sit in locis operationi ineptis, si occurat in valetudinariis.
De quibus & aliis pluribus hic cognitu necessariis vel nil sciunt
vel parum solliciti sunt qui lucri ab operatione capiendi studio capri-
cultris suis mox obiter & ubique ad sectiones properant.

§. XLIX.

Rerum medicarum doctrinis usuque præclarus commendatis-
simusque G. W. WEDELIVS in *exercitationibus suis semiotico*
pathologicis C. LXX. p. m. 192. Cancrum scribit ab istis artistis irritum
nimisque officioso conatu aperiri & eo ipso progressum magis ac-
celerari & tumoris ipsius radicalis, & aliorum novorum, & ulceris
ipsius modo ichorosi, modo fungosi, hujus incrementis, illius de-
pascentis magis, utriusque inæqualis cum labris duris & inversis
cet. licet citra contagium fere, præterea exasperari utrumque
tum emollientibus *πεντικοῖς*, tum acribus corrosivis, tam frequen-
ter adhiberi solitis. Quæ & similia tentamina tanto magis abesse
vult, ut HIPPOCRATICA prudentia l. c. p. 192. pronuntiet: pro-
desse negligentiam ipsam potius. 6. Aphor. 38. quam religiosam
curationem.

§. L.

Missis jam HOFFMANNIANIS aliorumque vulgo sic dicto-
rum MECHANICORUM testimoniis ad veri nominis STAHLIA-
NORUM scholam transeo. Jucundum enim est, & quod supra
E dixi



dixi quodammodo confirmare potest, saltem & hac in re non adeo, ut vulgo creditur, ubique diversas esse, alias diversissimas habitas, utriusque nominis Medicorum sectas. Unum producam hic veritatis testem, Cel. nempe J. JUNCKERVM, non sane *Battologum* sed *Pathologum* Stahlianum genuinum. Serio multisque in locis vir celeberrimus eadem cantilena concinnit cum supra auditis reliquisque superioris notæ Mechanicis cumque hisce forsan surdis narrat fabulam. In conspectu Medic. theoretico - practicæ T. LXXIX. §. VIII. 1. dicta incongrua artificia pariter ex ore Hippocratis ita repetit: *Quemadmodum jam Hippocrates consilium dedit, ut cancer occultus, qui nil aliud est, quam scirrhus sanguineus, intactus relinquitur, sic etiam præstat in veriore scirrbo manum detrabere, quam per emollientium usu ad maturationem perducere.* In chirurgia sua T. L. §. III. 2. mentionem injicit nodorum schirrhosorum per inepta medicamina, & §. VII. 1. scribit: *bey dem verborgenen Krebs werden zwar viele Dinge angerathen, bald von denen Medicis, bald von denen Chirurgis (... ASTRIS.) Z. E. die præparirten Bleymittel, bleyerne Blechlein, worauf man æusserlich den Mercurium vivum thun solle: item schmierichte Pflaster von Rufs und stinkenden Sachen und absorbentibus, die nach dem gemeinen Satz versüssen sollen, welche man auf den annoch verschlossenen Krebs legen solle. Aber in Wahrheit, gleichwie man mit allen diesen Dingen nichts ausrichtet, also wird durch die schmierichte Sachen der Schaden nur verschlimmert. cet. Et l. c. 4.) Bey vielen Exempeln hat der Gebrauch verschiedener innerlicher Arzneymittel den verborgenen Krebs, so nur einer Erbsen gross gewesen, dermassen verschlimmert, daß er nicht allein die Brust mehr aufgetrieben, sondern auch in dem Hals sich ausgebreitet, und also ungemein gross worden, ehe er in ein offenes Geschwür ausgebrochen.* Bone Deus! vestigia me terrent! exclamasse memini Præceptorem Magnif. Dn. PRÆSIDEM cum hæc Junkeriana explicabat & de venenosarum in schirrhis usu differabat. Posthæc laudatus Practicus no. 7. & 8. tangit, quæ hic male adhibentur, acria balsamica, olea destillata, & ex illis parata balsama sulphuris, adstringentia, purgantia sudorifera, diuretica, & §. 16. sanguinis ex ipsa parte adfecta profluvio opponi solita adstringentia; no. 18. narcotica, stupefacientia alias usitata, venenosa; porro.

ro. nro. cit. § 19. 20. hyosciamum, arsenicum (quod anthelmintici nomine cancro opponunt, somniantes cancerum hunc vivum esse, & ex innumeris vermiculis conflatum, adeoque fortissimo hoc veneno certissime enecatū iri, unde nonnullis forsan etiam polypus audit, videsis aliam ridiculam opinionem no. 23. allatam, quam juxta carnes imponunt, & cancro quasi vivo comedendas præbent, ne istas esurus edat & excedat nimis celeriter ægri carnes.) no. 22. 34. corrosiva consueta & mercurialia no. 24. virtutem impositi cancri fluviales & supra illum emorientis; no. 25. Solanum furiosum, no. 26. napellum, no. 29. absorbentia, putredinem hic augmentia. Denique quæ no. 35. 37. de incisionibus, operationibus chirurgicis novorum malorum causis effectricibus, adeoque artificialibus leguntur, ea pariter egregie consentiunt cum iis, quæ supra jam sunt dicta.

§. LI.

Autoris sui nomine digna *praxis Stabliana* quantum distet quamque abhorreat a non vera *Stahliana* aliorumque, quæ per venena sua facit pericula & experimenta, jam satis evincunt superque ipsius *STAHLII*, adeo severa & toties repetita monita, quibus non modo manifesta & nocentissima abs omnibusque pro talibus recepta toxica, sed & quævis alia alias non adeo aperte noxia & undecunque vel parum suspecta minusque tuta, quorum sub usu salus & vita ægrorum nostrorum periclitatur, reformidavit, reformidata repudiavit, repudiataque in sua, in suorum quoque discipulorum praxi tanquam angue pejus fugienda exulare voluit. Idem insuper comprobant abunde genuini illius *Stahliani*, *JUNKERI* pura, dogmata, quæ ut in aliis ita in exquisitioribus de tutiori præsentim etiam schirrhosis & cancrois morbis medendi methodo præceptis tam sunt consona, ut, si vel ipse *Stablius* ad posteros redux ista legeret, pro suis haberet omnino.

§. LII.

Neque vero *Stahlius*, & qui unius hujus partium sunt tantum, sed & reliqui nobilioris notæ Medici, sive alius sive nullius partium studiosi ducti fuerint, veri *eclectici*, quoad hanc causam in unum omnes consentiunt & carissimam homi-



nis partem, vitam & sanitatem ipsius, extra metuendi ab incerta medicatione periculi sortem caute & religiose quærendam & custodiendam esse contendunt. Quam egregie firmam adversus inde metuenda pericula sententiam & providentiam produnt & in hac maxime de scirrhis & cancris doctrina practica paxique ipsa circa diros hos morbos occupati. Opportuna harum meditationum occasione illustriora hujus religionis medicæ exempla in præsentī causā sese nobis offerunt quam plurima, quorum itaque unum alterumve quin excitem, temperare mihi non possum. Ea enim ob oculos habere & sequi tyronum esse quam maxime, existimo. Ill. LIEVTAUD miras *cicutæ* laudes, in DIARIO MEDICO *Mense Jan. 1760.* prolixè publicatas, se legisse quidem non modo testatur, sed eas etiam stupendas, quas vocat, curationes pleno orationis flumine pro re nata inde transcriptas *l. c. p. 305.* repetit. Verum enim vero illum *cicuta*, pro veneno, ut ipse loquitur, jure habita, uti ausum fuisse, non lego. Quod si vero ea usus fuisset, suam sane de ea non conticuisset experientiam. Quam vero fidem ipsi habeat, non adeo rectè prodit ea, quam præmissæ suæ de ista recensione *l. c. p. 306.* addit, clausula, hæc nempe: *num tamen decantatum remedium eosdem effectus exerat in nostris regionibus, nondum forte ratum manet.* Neque obstant quæ de ea *l. c. p. 306.* leguntur. Ea enim ex aliorum refert ore. Ipsemet vero de ista *l. c. p. 122.* ita statuit: *Cicuta, quæ nunc pro radice pastinacæ, nunc pro foliis petroselini, ob similitudinem ab incautis habetur, innumera & procellosa movet symptomata, inter quæ frequentius occurrunt totius corporis stupor, nonnunquam subitaneus, vertigines, visus obnubilatio, delirium, virium defectus, convulsiones, vomitus, singultus, æstus, dolor interaneorum cet.*

6. LIII.

Sed pessima hæc, objici audio, non a medico illius usu, verum contra ab hoc in gravissimis etiam morbis quævis optima expectanda sunt. Quæ hæc vox, quæso! Quid si ista sub illo attamen evenirent? quid si evenisse tacerent? quid si quis ea nunquam evenisse, non crediderit? evenire autem posse negaverit nemo? Et si in gravissimis, cur non eo magis in levioribus morbis
tanta

tanta præstat, & sine metuenda noxa præstat? Et si in hisce eo magis tantum esse deberet præsidium, cur in his illud negligunt. A majori ad minus certe hic valet consequentia. Sin autem sine metuendo inde periculo dari non potest, nonne sic anceps habendum est hoc remedium. At anceps esse, concedis. Ita vero habeo, quod volo. Plura non intendo hac vice. Alia forte alii plura ex concessis. Saltem, quod hic repeti posset vulgatum dictærium: fatius esse anceps tentari remedium, quam nullum, *primo* prius non valet, quam, quod nullum non anceps supersit, constet, constat autem sæpe sæpius anceps tentari, quando ac anceps æque potens & quam illud forte potentius ex tutioribus suppetit; *deinde* assertum illud ab objectionibus moralibus nondum, ut forte putatur, liberatum est. De hoc vero dispiciant alii.

§. LIV.

Sæpius jam laudatus CARTHESIVS *L. cit. S. VIII. §. VI. p. 570.* de *Belladonna* in cancro usu religiose cautus ita habet. *Hisce infusum foliorum belladonnae aquosum - - - addere vellem, si innocentia narcotici hujus remedii crebriori experientia comprobata esset. Attamen, quum nondum penitus de securitate ejus convictus sim promiscuum ejus usum nequaquam in hoc morbo suadere audeo.*

§. LV.

Sed velis contractis finem dissertationi imponant quædam huc spectantia allegata.

Curationem canceri temerariam habent H. E. L. *anno 1701. Mens. Jul. p. 311.*

Cancro contrariam salivationem mercurialem tradit RIEDL. *Cur. med. 408.*

Faciei cancer lethalis post variolas male tractatas describitur in A. N. C. *cent. I. obs. 123. p. 249.*

Alius ex verruca faciei causticis tractata *ibid. cent. 5. p. 58.*

Ex erysipellate perverse curato cancrum natum esse docet ALBERTI *Jur. Med. P. II. p. 567.*

F I N I S.

E 3

NOBI-



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO SVLZERO

S. P. D.

P R A E S E S.

*I*Ete, qui ipsemet viatico à me non instructus à Musis nostris discedere recusasti, proque eo in epistola aliqua valedictoria mea ad TE expetiisti monita, sine hisce dimittere, eo magis nefas fore duxi, quo minus facere possum, ut eorum aliarumque rerum utilium loco solis laudum honorumque significationibus, toties fallacibus, refertas epistolas gratulatorias scribam, oblata sic cassa inani ac sine medulla ventosa muce. Ipsa vero TVA, NOBILISSIME DN. CANDIDATE! dissertatio hoc mihi suggerit monitum: NIL TIMIDE, NIL TEMERE. Posterius recte in ea urges. Sed prius quoque tenendum est. Audaces fortuna juvat etiam. Quod bene recteque dicunt, licet male illud interpretentur perumque, qui audaciam pro temeritate accipiunt in dictis factisque suis medicis. Illa juvat, hæc nocet. Neutra quidem semper, utraque attamen sæpius. Illa etenim saltem cavet, ne noceat, nisi quidem juvare possit ubique semperque. Hæc nil intentatum relinquit, utcunque res cesserit, & si male, bonæ intentionis prætextu acquiescit, atque re quasi vel optime gesta nil amplius curat. Hæc contra ratione, consilio & prudentia adjuta juvat, nunquam nocitura. Ita vero nonnunquam audendum est aliquid in aggrediendis & debellandis vitæ & sanitatis hostibus. Excitandi itaque sunt omnino in castris nostris nimis timidi. Facessant modo procul hinc temerarii. Facta militum temeraria alias non habentur heroica,

&

Et jure bellico temeritatis poenam luunt. Cur quaeso nos inter temeraria tentamina, heroica toties audiunt? Cur impune ea facere licet? Cur justas non aequae luunt poenas? Haec Et similia justo mitius in dissertatione tetigisse videris NOBILISS. DN. CANDIDATE. Sed id ita voluit modestia tua hac vice non culpanda. Alia forsitan plura apertius profiteberis propria ultra edoctus experientia magisque exercitatus. Praeterea ex assertis TVIS spes affulget certissima, te neutiquam temerarium fore Practicum. Hoc illud ipsum est quod TIBI TVISque futuris aegris praecipue gratulor, DEVM precans, ut quaevis TVA pie suscepta tentamina practica gratia sua coronet benignissime. Ceterum ut TVO me amoris Et favori commendatum esse volo, ita Et TIBI mea quaevis spondeo officia.





Quot guttas lactis vaccasque Helvetia profert,
Quot salubres herbas, tot bona, AMICE! precor.

Tuos Tibi honores
gratulans

AVGVSTVS JOHANNES DAVIDES SIGWART
Medic. Cand. Opponens.

Errores Medici quosdam perstringis AMICE,
Aegrotis faustas Ipsemet adde manus!

Hisce Dno. Auctori
se commendat

J. A. KLAIBER, M. C. Opp.

Principiis obsta, Morborum respice Causam;
Sic nunquam medica nascitur arte novus.

Gratulabundus posuit

HENR. DAN. BRAVN,
Med. Cand. Opp.

